

Pr. 34. n. 2. 12.

24

7701,44^e

DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA
DE

CVLPA AB HEREDIBVS TVTORM PRÆSTANDA,

QVAM
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DOMINO

FRIDERICO WILHELMO,
REGNI BORVSSIACI HEREDE, ETC. ETC. ETC.
IN ALMA FRIDERICIANA

PRAESIDE
D.CHRISTIANO THOMASIO, ICto,
S. REG. MAIEST. BORVSS. CONSILIARIO, ET PROF.
PVBL. AC FACVLT. IVRID. H. T. DECANO,


PRO LICENTIA

SVMMOS IN VTROQUE IVRE HONORES
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA OBTINENDI,
AD D. XXIX. IVN. ANNI MDCCCL. HORIS ANTE ET POMERIDIANIS
SOLENNITER PROPONET

CHRISTIANVS GOTTLLOB STEMPEL,
BVDISS.

HALAE MAGDEB.
EX OFFICINA KITLERIANA,
RECVSA MDCC XLIII.

(6)





DISPVTATIONIS
DE
CVLPA AB HEREDIBVS TVTO-
RVM PRAESTANDA
SVMMARIA.

Occasio disputationis. Queritur quanam ratio communis do-
ctrine, quod heredes tutorum teneantur tantum de culpa
lata? §. I. Lectio interpretum lectorum magis reddit du-
biu[m] §. II. Dubium inde ortu[m], an doctrina illa sit vera? §. III.
Inspec[ti]o absque prejudicio legibus inventum, esse falsam; si-
mul inventa erroris origine, §. IV. Methodus dicendorum,
§. V. I. Exhibitio textuum ea de re disponentium, cum ob-
servationibus extemperaneis, scil. Pauli l. 49. de O. & A. §. VI.
§. l. 8. de fidej. tut. §. VII. Ulpiani, l. 157. §. 2. de R. I. §. VIII.
L. 4. pr. & §. 1. de fidej. tut. §. IX. l. 4. de magistr. conven.
§. X. l. 6. eod. §. XI. Pomponii l. 1. de fidej. tut. §. XII. Im-
peratorum, Severi & Antonini l. 1. C. de hered. tut. §. XIII.
soliu[m] Antonini l. 2. C. eod. §. XIV. §. l. 3. eod. §. XV. Alexan-
dri l. ult. C. eod. §. XVI. §. l. 2. C. de magistr. conven. §. XVII.
Diocletiani & Maxim. in l. 17. C. de negot. gest. §. XVIII.
II. Opiniones Doctorum cum stricturis: videlicet Glossa &
Glossatorum ex Bachovio, §. XIX. Cuiacii, ex l. 13. Obs. 39.
fluentis heredes tutoris non teneri de lata culpa ejus, & cor-

DE CULPA AB HEREDIBUS

rigenitis textus in l. i. C. de hered. tut. & l. 2. C. de Magistr. conv. §. XX. XXI. Ejusdem Cajacii ex lib. 21. observ. 2. aliquo modo primum errorem corridentis, sed permutatis tamen cum errore graviore, §. XXII. XXIII. Hotomanni ex lib. 12. obs. 22. misere torquentis l. 157. d. R. I. §. XXIV. eamque terturam inferre conantis doctrina de heredibus tutorum, §. XXV. neque adeo exacte refutantis Cajacium, §. XXVI. Antonii Fabri ex lib. 1. conj. 12. in refutatione Cajacii communem errantis errorem, §. XXVII. XXVIII. XXIX. Bachovii ex notis ad Treutl. V. 2. d. 9. th. 5. lit. d. e. noviter docentis, heredes tutoris tum teneat de levi ejus culpa, si is simul commiserit latam, §. XXX. refutati propter eas ab Habero, §. XXXI. Wissensbachit, §. XXXII. aliorumque, item B. Brunnemann Go-dofredum in explicatione l. i. ff. h. t. recte notantis. §. XXXIII. XXXIV. Prajudicium Factorum Lipsiensium ex Carpzovio pro communi sententia, §. XXXV. III. Periphrases Legum, genuinum eorum sensum contra communem opinionem ostendentes, §. XXXVI. videlicet periphrasis Legis ult. de fidej. tut. §. XXXVII. Legis 4. pr. & §. 1. eod. tit. §. XXXVIII. Legis 1. eodem §. XXXIX. Legis 4. de magistr. conven. §. XL. Legis 6. eod. §. XLI. Legis 1. Cod. de hered. tut. §. XLII. Legis 2. Cod. eod. §. XLIII. Legis 3. Cod. eod. §. XLIV. Legis 4. Cod. eod. §. LXV. Legis 17. Cod. de negot. gest. §. XLVI. VI. Fundamenta quibus in periphrasis usi sumus; (1) differentiam insuam esse inter actionem tutele & de magistratis convenientiis intuitu heredum, nec ab una ad alteram esse argumentandum. §. XLVII. (2) Nullam rationem esse, cur heredes tutorum non debeat prestare cupam levem defunctorum, & redditum esse, leges in dubio ita explicare velle, ut nulla ratio dari possit. §. XLVIII. (3) Rationes peculiares cur heredes magistratum non teneantur de culpa ipsorum §. XLIX. Opinionis nostra obesse efficaciter praxin, §. L.

§. I.

TUTORUM PRÆSTANDA.

5

§. I. *qui de 20 qd. 95. A.*

Oalent Candidati selectam materiam quære-re, in qua, dum Specimen inaugurale edere volunt, ingenii vires exerceant. Mihi festinanti & temporis penuria impe-dito, tale thema eligendum fuit, quod non vulgare quidem esset, sed quod etiam non diuturnas & diffusas meditationes requireret. Audivi autem, talia themata non diu quærenda esse, sed ita re-pleram esse Jurisprudentiam nostram assertionibus falsis aut dubiis, quamvis communibus, ut post nōgentos nonaginta novem commentarios in institutiones & pa-dectas vel in singulis titulis multa occurrant, quæ quis contra vulgares explicationes non vulgariter dissērere possit. Incidi igitur in *titulos ff. & Cod. de heredibus tu-torum*, & miratus sum, qui factum sit, ut secundum com-munem doctrinam heredes tutorum actione tutelæ con-venti non eandem culpam præstant, quam præstant ipsi tutores, cum tamen secundum regulam juris, & ratione aperta, (quod heres succedat in universum jus & onera defuncti,) subnixam, & perspicuo textu *l. 2. §. 2. de V. O.* fundatam, ex persona heredum' conditio obligationis non debeat immutari.

§. II.

Cum itaque Jurisprudentia nostra, quatenus sana est, debeat simul rationalis esse, & indicium supinæ ignoran-tiæ sit, si JCtus in reddendis rationibus legum recurrat mox ad famosam legem *non omnium ff. d. LL.* exæcta dil-igentia inquisivi apud Dd. quænam sit ratio hujus ex-ceptionis a Regula. Sed dum id ago, & Autorem cum

A 3

Au-

Autore, ac leges ab ipsis allegatis cum legibus conservo,
magis dubius a lectione recessi, quam accesseram, ita
nihil solidi proferunt, sed saepius aperte falsa afferunt,
ita plerumque dubia gravissima vel prætereunt, vel su-
perficiaria diligentia resolvunt, ita denique aliquando aper-
te satis ad autoritates, quarum apud JCTos cordatos nulla
debet esse autoritas, provocant.

§. III.

Hic igitur vitio mihi nemo vertet, quod in mentem
venerit; Forte assertio ista ad errores pragmaticorum, aut
si mavis interpretum pertinet: Forte hic nulla est exce-
ptio, sed regula ista rationalis etiam in actione tutelæ obti-
net. Forte antiquus aliquis interpres errorem commisit
in explicatione textus, quem postea communis Doctorum
schola solito more ut ducem cæcum incaute secura est:
Cogitavi tamen simul: Forte etiam tu, dum hec cogitas,
errorem committis; forte stupiditas tua in causa est, ut
subtilitas distinctionum quibus Doctores in tractanda hac
quæstione utuntur, captum intellectus tui supereret. Nam
quis tu es, qui audes, tot viris eminentibus & famigeratissimis
contradicere, qui putas, quod tuus oculus mentis
plus videat quam tot oculi acutissimi & Lyncei. Sed cogi-
tavi etiam, quandoque ut Latini loqui amant, olitorem
esse verba opportuna locutum.

§. IV.

Igitur ut me liberarem a cogitationibus memet hinc
inde rapientibus, descripsi leges singulas de hac quæstio-
ne vel diserte agentes, vel eandem illustrantes, ut uno
quasi conspectu perspicere potuerim, an unanimis JCTo-
rum & Imperatorum de ea fuerit sententia, aut an forte
ICti

TUTORUM PRÆSTANDA.

7

ICti pro diversitate Sectarum vel pro libertate sua circa easdem dissenserint, aut an forte sententia ICtorum in Codice ab imperatoribus fuerit correcta, ut adeo interpres primævi, inaniter persuasi, nullas dari in jure Iustianeo Antinomias, distinctionibus suis subtiliter excogitatis; crucem fibi & aliis fixerint, & ita rem in se planam & perspicuam inepita hac methodo & irrationali obscuram reddiderint, aut ex quo alio fonte diffensus ille & difficultates emerserint. Inspexi leges; deprehendi, eas dilucide secundum regulas bona interpretationis nihil aliud afferere, quam, quod eandem culpam, quantum tutor ipse conventus præstare debeat, præstare etiam teneantur heredes; tanquam heredes ex facto tutoris conventi, quod si vero ex facto proprio convenientur, præstent saltem dolum & culpam latam. Ut adeo miratus fuerim, quo pacto Doctores in re re tam plana in devia quoad primam propositionis partem venire potuerint. Inspexi iterum, contuli cum legebis, inveni fundamentum omnis erroris inde provenisse, quod primi Glossatores in lege quadam Codicis putaverint clare invenisse, quod tamen ab interpretibus, sensu communis utentibus, & leges legibus comparantibus, ibi nullo modo inveniri potest. Scilicet quod putaverint textum loqui de heredibus tutorum ex facto tutorum conventis, cum tamen Imperatori id nequaquam venerit in mentem. Quo absurdio semel admisso & autoritate Glossatorum ad posteros propagato, putarunt etiam postea viri de emendanda & purganda a sordibus Glossatorum Iurisprudentia alias maxime, & sape nimis, solliciti, textus reliquos veriorem sententiam plusquam semel inculcantes, ex ista fallo exposita lege Codicis esse expendas, & vel contortis quibuscumque explicationibus eidem aptandos.

§. V.

§. V.

Hoc pacto vero non opus erit, ut solicitus sim, de methodo, qua in præsenti disputatione utar. Credo enim, nihil tam naturale esse in demonstrandis erroribus & reductione in viam regiam, quam si illis, qui in iisdem de viis sunt constituti, monstraremus eandem rationem & viam, qua nos ex errore simus liberati. Istud autem commodissime fiet, si sic me geram, ut primo ipsos textus Iuris huc apponam, additis interim observationibus quibusdam extemporaneis iisque brevissimis, tum ut excerptam varias dissensiones interpretum, iisque statim Iudicium breve vel subjungam vel interspergam; inde vero ut genuinum intellectum legum brevi periphrasi includam, ac denique ut brevibus positionibus rationem periphraseos meæ tradam.

§. VI.

Incipiam autem a ICtis, quorum meditationes in Pandectis referuntur. Ubi deprehendo statim, quod Paulus lib. 18. ad Plautum in l. 49. de O. & A. ita differat: *Ex contractibus venientes actiones in heredes dantur, licet delictum quoque veretur, veluti cum tutor in tutela gerenda defecerit, aut is apud quem depositum est.* Ex qua lege statim quasi obiter observo, inter veteres ICtos forte dubitatum fuisse, an tutela actio ratione doli a defuncto tutore commissi ad heredes transeat. De culpa levi primario non subfuisse dubitandi rationem.

§. VII.

Eiusdem Pauli est l. 8. de fidejuss. tutorum ex lib. 9. Responsorum: *Heredes ejus, qui non jure tutor vel curator datus, administrationi se immiscerunt, dolum & culpan prastare non debent.*

debere. Paulus respondit, *tale judicium in heredem tutoris transferri oportere, quale defunctus suscepit.* Hoc eo pertinet, ut non excusat heres, si dicat, se instrumenta tutelaria non invenisse. Nam cum ex omnibus bone fidei judiciis propter dolum defuncti heres teneatur, idem puto observandum & in tutela actione. Sed constitutionibus subventum est ignorantiae heredum. Hoc tamen tunc observandum est, cum post mortem tutoris heres conveniatur: non si lite contestata tutor decesserit. Nam litis contestatione & paenales actiones transmittuntur ab utraque parte, & temporales perpetuantur. Hic noto, ex verbis: *tale judicium in heredem tutoris transferri oportere, quale defunctus suscepit*, Paulum nihil aliud velle videri, quam quod actio tutelæ secundum regulam §. i. memoratam cum omnibus qualitatibus etiam intuitu culpæ ad heredes transmittatur.

§. IIX.

Pergo nunc ad Ulpianum, atque hunc deprehendo in omnibus cum Paulo convenire, et si ab aliis passim sit ostensum, Paulum & Ulpianum sæpiissime dissentire, tanquam in auditorio Papiniani valde æmulos. Etenim Ulpianus eandem regulam, in quâ Paulus exempli loco tutelæ actionem referebat, inculcat lib. 71. ad *Edictum* collocatam in l. 157. §. 2. de R. I. In contractibus, ait, *succesores ex dolo eorum quibus succederunt, non tantum in id, quod perverni, verum etiam in solidum tenentur, hoc est unusquisque pro ea parte, qua heres est;* Sed cum Ulpianus hic nullam mentionem faciat tutelæ, inquirō propiores textus.

B

§. IX.

§. IX.

Hic autem mox se offert l. 4. pr. & §. 1. ff. defidejusor, & nom. desumta ex Ulpiani lib. 36. ad Edictum. Cum ostendimus, inquit, heredem quoque tutelæ judicio posse conveniri; videndum an etiam proprius ejus dolus vel propria administratio veniat in judicium, & extat Servii sententia existimantis, si post mortem tutoris, heres ejus negotia pupilli gerere perseveraverit, aut in arca tutoris pupilli pecuniam invenerit & consumserit, vel eam pecuniam, quam tutor stipulatus fuerat, exegerit, tutelæ judicio cum teneri suo nomine. Nam cum permittatur adversus heredem ex proprio dolo jurare in item, appareat cum judicio tutela teneri ex dolo proprio. Negligentia planè propria heredi non imputabitur. Ex illa lege observo, Ulpianum quasi indubitatum supponere, quod actio tutelæ eodem modo adversus heredes detur, quo data fuit in tutores, & faltem questionem illam ventilare tanquam dubiam, quomodo conveniatur heres ex facto proprio. Neque præsumendum est, si forte in præcedentibus Ulpianus peculiare, quid circa heredes, ex facto tutoris conventos in actione tutelæ observasset, id omissurum fuisse Tribonianum tanquam observationem maxime ad præsentem titulum pertinenter.

§. X.

Deprehendo etiam alios Ulpiani textus huc pertinentes in titulo de Magistrat. conven. Ita enim lib. 3. Disputationem in l. 4. d. t. comparat heredes tutorum & magistra.

gistratum. Non similiter tenentur heredes magistratum, ut ipsi tenentur. Nam nec heres tutoris negligentia nomine tenetur, nam magistratus quidem in omne periculum succedit: heres ipsis dolo proximæ culpæ succedaneus. Hanc legem si cum ea, quam præcedente paragrapho retuli, conservo, statim observo, nullam causam esse, ut verba Ulpiani hic posita: *Nam nec heres tutoris negligentia nomine tenetur*, exponam de herede ex facto tutoris convenio, sed potius de herede convento ex facto proprio ob verba ibi relata: *Negligentia plane propria heredi non imputabitur.*

§. XI.

Alter textus est in in l. 6. eod. ex Ulpiani lib. 1. ad Edum. Quod ad heredem magistratus pertinet: extat Divi Pii rescriptum, casæ cognita debere dari actionem, nam magistratus si tanta fuit negligentia, ut omnem cautionem omittaret: æquum est, haberi cum loco fidejussionis, ut heres ejus teneatur, si vero cavit & tunc idonei fuerunt, & postea desierunt, sicut & ipse magistratus probe recusaret hanc actionem, ita & heres multo iustius. Novissime non alias ait in heredem actionem, dandam, quam si evidenter magistratus cum minus idoneis fidejussionibus contrahunt. Ex hac lege jam saltim in genere noto: Etsi in præcedenti lege Ulpianus heredes tutoris & heredes magistratus compararet, comparationem tamen non esse omnimodam, sed hanc legem ostendere, dubitatum fuisse inter ICtos, an actio contra magistratus plane danda sit contra heredes eorum, qualis dubitatio in negativam inclinans nunquam

B 2

fuit

fuit aut commode esse potuit circa quæstionem, an actio tutelæ danda sit contra heredes. Rationem vero dubitandi in illo casu non fuisse plane ridiculam exinde conjectari licet, quod opus fuerit rescripto Divi Pii, ut secta quæstionem affirmans, negantem vinceret, cum contra secundum legem Pauli §. 7. adscriptam in quæstione de heredibus tutorum rescripto opus fuerit in liberandis heredibus tutorum, si negligentia propria damnum pupillo dederint. Igitur hic locus notandus erit, ut infra suo loco inquiramus in rationem illam tubitandi, quæ negavit, heredes magistratum non esse convenientios.

§. XII.

Restat adhunc una lex in titulo *de fidejuss. & nom.* eaque in ordine I. exscripta ex Pomponii Lib. 17. ad Sabinum. Quamvis, inquit, heres tutoris tutor nos est, tamen ea que per defunctum inchoata sunt, per heredem, si legitima etatis & masculus sit, explicari debent, in quibus dolus ejus admitti potest. Quod penes tutorum fuit, heres quoque ejus reddere debet. Quod apud pupillum is reliquerit, si heres capit, non quidem criminе caret, sed extra tutelam est utili actione hoc reddere compellitur. Hic video saltem agi de dolo ab herede ex facto proprio præstanto, ergo ex hac lege nihil excipi posse pro communī sententia, quod heres saltem dolum tutoris, non vero culpam levem præstare teneatur.

§. XIII.

Pergo ad textus *Codicis.* Hic in titulo *de heredibus*

111-

tutorum lege 1. Imperatores Severus & Antoninus ad Fuscam scripterunt. Heredes tutorum ob negligentiam, quæ non latæ cuius comparari possit, condemnari non oportet, si non contra tutorum his inchoata est, neque ex damno pupilli lucrum captatum, aut gratia praesitum sit. Hic noto, verba generaliter posita esse, adeoque dubium remanere, an Imperatores loquantur de herede ut herede convento, an de herede convento ex administratione propria. Sed cum tamen leges Pandectarum & doctrina ibi posita nullam rationem mihi suppeditet, cur suspicer, Imperatores loqui de priori casu, contra, si de eo explicem hanc legem, leges pandectarum torquende sint, ut cum hac lege concilientur, inde infero, legibus bonæ interpretationis repugnare, si non legem intelligam de actione contra heredem administrantem tutelam instituta, & simul cognosco fontem omnem tricarum ab interpretibus formatarum deberi neglectui simplicis, planæ, & non subtilis aut difficilis observationis.

§. XIV.

Lege 2. eod. Imperator Antoninus duobus fratribus Valentino & Materno rescripsit: Pater vester tutor vel curator datus, si se non excusavit, non ideo vos minus heredes ejus tutela vel utili judicio conveniri potestis, quod eam tutelam seu curam non administrasse dicitis, nam & cessationis ratio reddenda est. Prius tamen propter actum suum eos convenientios esse, qui administraverunt. Hic noto, quemadmodum supra in §. 7. Paulus non obscure assertebat, judicia tutelæ eodem modo in heredes transmitti, quo da-

bantur adversus tutorem defunctum, ira & hic Imperatorem innuere, heredes etiam de negligentia & culpa defuncti debere respondere, dum in genere eos jubet, quod debeant rationes reddere cessationis.

§. XV.

Lex 3. eod. quæ ejusdem Imperatoris est, nil quidem habet, quod pro nostra sententia novum argumentum præbeat, sed nihil tamen habet etiam, quod faveat sententiæ adversæ. *Adversus heredes, ait, quondam tutoris tui tutela actione consiste. In judicium autem veniet etiam id, quod tibi tutor ex causa fideiussionis debuit.*

§. XVI.

Magis pro nostra sententia videtur facere *lex ultima* eod. in qua Imperator Alexander Frontino respondit: *Heredes eorum, qui tutelam vel curam administraverunt, si quid ad eos ex re pupilli vel adulti pervenerit, restituere coguntur. In eo etiam, quod tutor vel curator administrare debuit, nec administravit, rationem eos reddere debere, non est ambigendum.* Dum enim dicunt, nullum dubium esse heredes debere reddere rationem negligentia tutoris defuncti, neque tamen negligentiam distinguunt, indicium verosimile id est, de nulla negligentia à tuteore commissa esse ambigendum.

§. XVII.

Disposuit equidem idem Imperator Alexander in l. 2.
C. de

C. de magistrat. conven. etiam aliquid de heredibus Magistratum: In heredes, inquit, magistratus, cuius non lata culpa idonee cautum pupillo non est, non solet actio dari. Sed cum hic plane nihil dicatur de heredibus tutorum, nihil etiam inde observamus, & imo plane hunc textum omissemus, nisi idem etiam ab interpretibus, in discussione quæstionis nostræ quandoque soleret afferri & præterea etiam aliquo modo illustraret textus Ulpiani §. 10. & n. relatos.

§. XIIIX.

Solet etiam ex titulis Codicis *de negotiis gestis* l. 17. quæ *Diocteliani & Maximiliani* est in quæstione præsenti à Doctoribus allegari, quam & ipsam apponemus: *Curatoris etiam successores, negotiorum gestorum utili conventos actione tam dolum quam talam culpam præstare debere, nec ad eas officium administrationis transfire, ideoque nullam alienandi eis res adultæ potestatem habere convenient.* Hic observo, et si verba admittantur, ut hic textus tam de heredibus curatoris ex facto curatoris conventis, quam de iis, qui ex gestione propria convenientur, exponatur, nullam tamen rationem urgere, cur prior explicatio præferatur posteriori, præprimis cum posteriore suadeat, quod de *officio administrationis* non transeunte statim additur.

§. XIX.

Pergo ad Interpretes (*vide* §. 5.) ex quibus saltēm posteriores afferre liceat, & ad quos reliqui fere provocant, aut eos

eos cœco impetu sequuntur. Et hic quidem uti conveniens est, ante omnia originem opinionis in Glossatoribus querere, ita ne magnum laborem ea in re adhibeamus, otium nobis fecit Bachovius *ad Treutlerum. Vol. II. Disput. 9. th. 5. lit. d. e. p. m. 491.* qui in summam contraxit opinionem Glossatorum. *Hæc sententia*, inquit, *quod ex levi culpa tutorum heredes non teneantur, procul dubio est communis*, quoniam hoc tanquam certum ab *Accurs. Bart. Bald. Salicet. ad d. l. i. C. de hered. tutor. annotatum* repertur. *Et notat hoc idem Salicet. in § ex l. curat. 17. C. de neg. gest. n. 2.* ubi ait, *hoc esse mirabile, quod que contra defundum competit pro lata § levi culpa contra heredem pro levi culpa defuncti intentari non possit: § Cyn. ibid. in pr. ait esse speciale in quasi contractu tutelle: § idem ibid notat Cafrensis.* Adde *Carpzov. Part. II. Conſt. XI. def. 31.* Hic saltem illud noto, Saliceto id non solum videri peculiare, sed *mirabile*. Miramur vero ea, quarum causas ignoramus, adeoque Glossatores nullam causam doctrinæ communis dare potuerunt, sed retulerunt eam ad casus legis *non omnium ff. de LL.*

§. XX.

Duravit hic consensus interpretum usque ad tempora Cujacii, qui primus circa expositionem *l. i. C. de hered. tut.* quid innovare tentavit, quod et si satis infeliciter ipsi cesserit, cum tamen fere solus sit, qui opinioni communis contradixerit, opus erit, ut ejus locum demus integrum, interspersis tamen mox observationibus nostris. *Ađio ait, l. 13. Obſerv. c. 39. aut ex delicto naſcitur, aut ex*

ex contractu. Scio esse vulgatum: actione ex delicto defuncti, heredem in solidum non teneri, ex contractu teneri, licet in ea delictum vertatur, veluti dolus matus aut lata culpa. (Ego vero scio, hoc non esse vulgarem opinionem Doctorum, sed fundari in claris textibus supra §. 6. & 8. de scriptis, quos videtur tum temporis ignorasse Cujacius, quia ad eos hic plane non respondet. Igitur habuit pro errore inter quem.) Sed repugnare l. C. de hered. tut. si modo detracta negatione in ea sicut est in Basilicis legas hac modo. Heredes tutorum ob negligentiam, que latè culpa comparari possit, condemnari non oportet. Basilica, τὸν οὐρανόμενος τὴν ἐπιτροπὴν αὐτὸν μεγάλης ἀμελείας εἰς προσήκει παραδίκησέ θεῖ. Et sane ita legendum est omnino, nam heres si ex contractu defuncti tenebantur, & ex ea causa tenentur, qua defunctus tenebatur, ergo ex levi culpa. (Hoc vero ergo non concludit, Defunctus enim tenebatur etiam ex contractu de dolo.) quod indicat l. 4. D. de fidej. tut. dum ait negligentiam propriam, id est, culpar leven heredis propriam heredi non imputari πρὸς δασοῦν scilicet negligentia defuncti, qua heredi imputatur. (Ita quidem est, sed id non probat intentionem Cujacii. Non sequitur: Heres tutoris tenetur de levi culpa tutoris, ergo non de ejus dolo. Prius Cujacio concedo ejusque causam hac in disputatione ago, sed nego consequentiam.) Et in l. 4. D. de mag. conven. de negligentia heredis propria agitur, dum ait heredem tutoris negligentia nomine non teneri, ut ostendat scilicet, pleniorē ēssē in tutorē quam inheredē in tutoris actionē, id est tutori imputari negligentiam suam, heredi tutoris non imputari negligentiam suam. (Hoc iterum recte sensit Cujacius, & in hoc puncto ejus causam hic agemus. Sed negamus rursus,

C

inde

Inde inferri, heredem tutoris de dolo tutoris non teneri.) Sed quia in ea lege heres tutoris comparatur heredi magistratus. (Quid s̄ dicamus, non comparari? sed saleem Ulpiandum instantiam dare voluisse teacitae objectioni: actiones contra heredes eodem modo dari, uti contra defunctorum? Aliud enim est dare instantiam, aliud, argumentari à pari. Illud officium respondentis est, vel excipientis, hoc opponentis, vel probantis. Imo quid si dicamus: comparationem esse valde generalem & remotam neque huc extendentam, quorsum ex tendit Cujacius.) Et heredem magistratus proditum est non teneri ex culpa defunctorum non magna, non lata l. 2. C. ead. videtur ergo nec ex sua nec ex defunctorum culpa levi heredem tutoris teneri, nisi et negationem sustuleris ab ea l. 2. C. de hered. tut. eadem enim ubique tollende ejus ratio subest. (Et quia ostendimus priorem rationem esse frivolam, simul ostendimus & hanc talem esse.)

§. XXI.

Pergit Cujacius ibit: *Et secundum hæc tentari potest* (sed postquam præcedentia rejecimus, non opus est, ut de hoc tentamine valde simus solliciti,) *ex dolo aut lata culpa defunctorum heredem non teneri, licet actio veniat ex contractu et rei persecutio id est non ex quolibet dolo, non ex qualibet latra culpa, nisi ut est in d. l. 1. lucrum ex damno ejus, quicum contraxit defunctus, captaverit, licet id non pervenerit ad heredem.* (Forte igitur cogitavit Cujacius de l. 157. §. 2. de R. I. tanquam sibi obstante, quia his verbis, et si satis obscure, videtur conciliare voluisse sententiam suam cum illa lege,) Et nisi lucrum ex ejusdem damno gratia ductus alii praesisterit. Exceptiones due sunt, una doli exemplum cor-

continet, altera latae culpa l. si procuratorem §. ult. mand. Ergo propitio ejus legis esse debet de dolo, aut lata culpa defundi: (Hic itaque Cujacius sibi passus est imponi à communi Glossatorum sententia. Si legem intellexisset de culpa heredis propria, non cogitasset de corrigendo textu,) quæ inspectio satis per se sola demonstrat, ab eo lege eradendam esse negationem. Quod si in ea est eradenda §. in d. l. 2. igitur §. quod vulgatum dixi initio, illis danda-
xat casibus locum habet, cum lucrum ex damno alieno ca-
ptatum aut gratia præstitum est, non ex qualibet causa do-
li aut magna culpa defanti, nisi cum eo lis fuerit conte-
stata. Et hoc est, (Imo plane aliud est. Ibi enim Imper-
ator respexit ad actionem depositi miserabilis. l. i. §.
i. depositi) quod dicitur in Institutionibus tit. de perpet.
§ temp. act. aliquando ex contradicione in heredem
non dari, veluti (At hoc veluti exulare debere, etiam se-
cundum observationes ipsius Cujacii jam notavit Gotho-
fredus ad h. l.) cum testator dolose versatus sit § ad he-
redem ejus nihil ex dolo eo pervenit.

§. XXII.

Cum ergo ut notavimus ista Cujacii parum coherere-
rent, accidit ut vel ex notatione Hotomanni, quam mox dabi-
mus, vel aliunde admonitus ipse postea suam sententiam
mutaret, quem & ipsum locum, cum errorem hic errore sal-
tem mutaverit, & noviter impegerit JCtus alias excellens
exhibebimus integrum: Quod scripsi, dicit, lib. 21. obs.
2. ex l. i. C. de hered. tut. non ex quolibet dolo vel lata
culpa tutorum, heredes eorum teneri tutela actione tutori-
bus mortuis ante item contestatam, sed ex dolo tantum,

C 2

qua

quo spoliis pupilli tutores suas, vel aliorum per gratiam auxerunt facultates, verissimum esse adfirmo, (Ego vero adhuc dum affirmo esse falsissimum, non solum propter textus §. 6. & 8. descriptos, sed & propter l. 12. §. ult. de V. O.) ea tamen lege & conditione, ut propter autoritatem Statutorum, forte eo loco non castigatorum nihil mutetur vel detrahatur l. 1. C. de hered. tut. nam quod ait, heredes tutorum non teneri ex non latam culpa, id est, ex levi, etiam verum esse confirmat l. 4. de magistr. convenientis, qua heredem tutoris ait, non teneri negligencie nomine quod est non esse succedaneum culpæ levis ipsius tutoris. Nec enim de culpa heredis propria ea verba intelligi possunt, cum is heres tutoris in ea lege comparetur. (Hanc rationem falsam esse aut nihil inferre, ostendimus jam §. 10.) heredi magistratus, qui per fraudem pupillo tutorem dedit, cui quidem magistratus heredi nec dicit aut dicere potuit, propriam culpam non imputari, quæ nulla in eo existere potest, sed ut heredi magistratus dicit culpam ipsius magistratus dolo proximam, id est, latam culpam imputari, non culpam non latam, ita consequens (Non est consequens per modo dicta, & quæ ulterius infra dicentur in ostendenda differentia inter actionem tutelæ, & de magistratibus convenientis, quando de heredibus eorum sermo est, huic comparationi & consentaneum est ut dicat heredem quoque tutoris ob non latam ipsius tutoris culpam, id est, ob levem tutoris culpam non teneri, sed ob latam tantum ut d. l. 1. Denique tutorem vel magistratum, omne periculum, omnem culpam praestare, heredem succedere tantum in latam culpam eorum, non in levem. Et ita de herede magistratus aperte scriptum est in l. 2. C. de mag. conven. aqua detrahendæ negationis, quia nul-

nullum autorem habemus certum, nec detrahamus igitur, maxime cum quia & quasi paenalis ea actio est (H. e. non ex contractu Magistratus vel quasi contractu, sed ex delicto vel quasi descendens. Atqui haec observatio debebat ostendere Cujacij, male, ubi de heredibus agitur, comparari actionem tutelæ, & de magistratibus convenientidis.) l. ult. D. eod. justum videatur, non daricam temere in heredem magistratus, qui tutorem dedit & omisit cautionem, Rem pupilli salvam fore, sed causa cognita, sicut nec temere datur in heredem magistratus, qui non curavit postulantem caveri damni infecti, ad quam speciem propriæ pertinet l. 6. D. eod. inscriptio probat, exhibita l. 4. §. in eum & §. ult. de damn. inf.

§. XXIII.

Pergit: *Exemplo* (At modo dicta ostendunt, ea quæ in d. l. I. de herede tutoris dicuntur, non dici exemplio heredis magistratus) igitur heredis Magistratus recte ait d. l. i. & heredem tutoris ob culpam non latam, id est ob leuem culpam tutoris non teneri, si lis non sit contestata cum tute. Nam post item contestationem etiam levis culpa ad heredem tutoris transmittitur itemque si neque ex damnō, ut ait, pupilli lucrum captatum aut gratia præstitum sit. Nam ex doto vel lata culpa tutoris si quid ab sit, pupillo proeunt dubio heres tenetur, licet ad eum nibil pervenerit juxta regulam. adea §. ult. de R. J. *Propositio d. l. i.* hac est, heredes non teneri ex non lata culpa tutorum (Falso: agit enim lex I. de culpa levi ipsorum heredum) *Exceptio una:* Nisi ex causa non lata culpa (haec vero verba, quæ in lege sequuntur, non sunt exceptio, sed

declaratio) his contestata cum tutoribus fuerit. Clarsula vero huic exceptioni subjecta, his verbis, neque ex danno pupilli &c. non exceptioni, (Si Cujacius & praecedentia verba legis non habuisset pro exceptione, non incidisset in erroneam expositionem Glossatorum.) sed explicatio est superioris propositionis, quae non latam culpam ostendit in ea propositione sic esse accipiendo, si non ex danno pupilli lucrum captatum vel gratia praestitum sit. Nam lucro captato sibi vel alii cum detrimento pupilli, heres tutoris tenetur, etiam si nihil ad eum pervenerit. Lucro non captato & incolumi patrimonio pupilli, heres ad quem nihil pervenit ex dolo vel lata culpa tutoris non tenetur puta, si dolose versatus si citra damnum pupilli, (Certus sum Cujacium ipsum non intellixisse, quae hic dixit. Quid enim hoc est: Heres tutoris tenetur de lata culpa tutoris, si pupillo damnum datum sit. Si vero pupillo nihil desit, non tenetur de lata culpa vel dolo tutoris ? An unquam Domitius quispiam dubitavit, utrum heres tutoris teneatur, si pupillus nullum damnum passus sit ? An quispiam in ullo contractu praestat dolum vel culpam, per quam alter non est læsus ?) si dolut ei suus malitiaque sua mala nihil profuerit §. aliquando inst. de perpet. & temp. act. nam & heredes ejus cum qualis contestata non est, placet non teneri pœnali actione, veluti furti vel injuria rum, aut mixta quatenus pœnam persecutur veluti vi honorum raptorum vel damni injuria, non pœnali, inquam, etiam si quid ad eos pervenerit, non mixta, nisi quatenus ad eos pervenerit ex dolo defuncti, non excepta actione vi honorum raprorum, qua ejus editici verbis non tetur de eo, quod pervenit, dabitur tamen non inutiliter, cur vero, nisi quia actione pœnali actor non persecutur rem, que sibi abest, sed extra rem pœnam. in quam innocem

sem heredem succedere aequum non est. Et ita aequum non est (Quamvis Cujacius etiam in modo præcedentibus ita disserat, ut vix intelligi possit, liceat tamen ponere, nos eum intellexisse, & respondere: Tò ita hic positum, ab actionibus ex delicto ad actiones ex contractu male inferre.) actione veniente ex contractu ob dolum malum defuncti heredes teneri, si neque adeos, neque ad defunctum quidquam per-
venerit, i. e. si ob eam rem nihil ex actoris patrimonio absit. Regulariter heredes tenentur ob dolum defuncti, quoniam vix do-
lo dolatur quidquam sine detrimento alterius, & aliquando tantum
non teneri dicuntur d. §. aliquando, nempe si quando forte dolus
adversarii actoris rebus nihil absulerit. (Apparet igitur Cu-
jacium ex nimio studio explicandi istum §. Inst. ad
has ineptiarum angustias esse redactum. Si vero in-
spexit l. l. §. l. depositi eo non pervenisset.)

§. XXIV.

Non diu post, quam Cujacius istud novum suum
inventum de dolo tutoris ab heredibus non præstando
publicaverat Franciscus Hotomannus eidem contradicere
ac id confutare aggressus est lib. i. de amicab. resp. c. 22.
seu, quomodo ab aliis allegatur Lib. Observ. c. 22. Quem-
admodum facilius est, aliorum nævios videre, quam pro-
prios evitare, ita & Hotomanno accidit. Nam dum Cu-
jacium non malenotat, ipse gravius aberrat. Ita enim
observationem suam incipit: si heres ex defuncti contractu
in solidum tenerur, in quo nullius defuncti dolus arguitur, multo
magis teneri eum convenit, ubi dolus ejus versatus est l. hoc jure
152. §. 2. D. de R. J. Sed tamen non similiter ex utroque tenetur.
Nam ex causa negotii contracti (veluti commodati, depositi, tu-
telle,) tenetur in solidum, hoc est, etiam supra vires heredita-
tus:

tus: propterea quod onus est hereditarium: actio inquam hereditaria est, que ex persona defuncti initium sumvit, quare si ex ase heres est, in solidum tenebitur; si ex parte, pro rata: secundum legem XII. tabul. At ex causa doli etenim tantum teneatur, quatenus ad eum pervenit: hoc est, quatenus hereditas ex defuncti dolo locupletior ad eum pervenit l. s. ff. de calumniat. l. ad ea, que 157. D. de R. J. Ubi verba illa non tantum in id, quod pervenit, ad doli rationem referenda sunt: illa vero: Verum etiam in solidum ad negotium in contracitu gestum (Atqui tex- tum l. 157. inspicienti, supra §. 8. descriptum, apparebit, Hotomannum hac explicatione eum sic torqueare, ut clamaturus sit, si clamare possit) ut scil. tam doli quam calculi ratione teneatur l. Sabinus 29. D. de dol. mal. quippe cum heres ex defuncti delictis non teneatur, nec succedat l. penult. D. de dam. inf. l. pupillum iii. §. i. de R. J. Adjicit & alia qua-
dam ex eodem errore promanantia, ubi saepe memorata
§. Institutionum corrigere, & vocem dolo ex eo tollere parum apte allaborat, quæ brevitatis studio o-
mittimus & ad ea properamus, quæ de heredibus tuto-
rum habet.

§. XXV.

Hec cum ita sint, inquit, videamus de tutorum heredibus quid statui conveniat, nam tutores quidem ex levi culpa teneri, & tantam diligentiam prestare, quantam vel ipsi vel alii patres-familias in suis rebus adhibent, constat ex l. i. D. de tut. & rat. dijstrah. & l. 23. D. de administ. tut. Cum autem queritur, cuius culpa nomine eorum heredes teneantur, indistincte respondetur, eos laicæ tantum tutorum culpa nomine teneri: negligentie non teneri, Dixi, indistincte: quoniam nihil interest, utrum tutela actione suo an defuncti nomine convenientiantur. De iis qui suo nomine con-veniuntur testimonium existat in l. i. & l. 4. D. de fideiuss. conv. de
tuto-

tutorum culpæ in l. 4. D. de magistr. conv. (Ad hanc vero l. 4.
quæ Hotomannum hic se duxit, jam respondimus Cujacio
§. 20. & 22.) nimur ex regula Juris qua dicimus. Heredes
ex defuncti contractu, in quo defuncti dolus arguietur, teneri: l.
ex depositi 12. l. ex contractibus 49. D. de O. & l. ult. D. deside-
juss. tut. sed eamen eatenus duntaxat, quatenus ad eos pervenire
ut jam superius diximus (reclamante videlicet l. 157. de R. I.)
idque etiam apertissime (nil minus) traditur in l. 1. C. de her. tut.
Heredes tutoris, inquit, ob negligenciam, que non late culpa com-
parari posse, condemnari non oportet: Quod quivis latine do-
ctus (sed latine doctus ibi nihil deo inveniet, quod he-
res teneatur faltem, quatenus pervenit. Imo nec Ho-
tomannus id ibi invenit:) sic, opinor, interpretabitur: Here-
des tutoris ob latam ipsius (porro nec latine doctus hoc ipsius
sine ratione adder, cum textus id non habeat, nec ulla
ratio postulet) culpam condemnari oportet: ob levem non oportet.
Nam in l. ult. ejusd. sit. dilucide traditur, heredes ob non admi-
nistrata, que administrare tutor debuit, (que sine dubio lata culpa
est) teneri. Et non lata culpa pro levi similiter ponitur in l. 2. C.
de magistr. conven.

§. XXVI.

Tum ad Cujacium progreditur. Que cum tam
perspicue & inter se & cum juris ratione consentiant, non dubita-
bo repudiare & illam nuper (a Cujacio videlicet) proditam Gra-
corum interpretationem, que latinam legem corrumpit: τὸν κλη-
ρονόμους τὸ ἐπτέρωτε αἴπο μεγάλος αἰματέας ἢ προστίμος νεκρῶν θά-
νατοι: Et particulam Non in eadem l. 2. retinere: Non tam
Doctorum omnium, qui eam legem sic interpretati sunt autorita-
tem secutus, quam ipsam juris rationem ac veritatem. Quam
etiam hoc argumento confirmabimus. Certum est heredibus tutorum
comparari (Imo certum est, per aliquoties dicta, eam com-

D

pa.

parationem vel ibi non institui, vel non esse valde extendendam. Interim verosimile est, si quis haec verba Hotomanni conferat, cum iis, quæ ex Cujacio descripsimus §. 22 hanc Hotomanni observationem occasionem dedisse Cujacio, ut istam observationem alteram scriberet) heredes magistratum d. l. 4. D. de magistr. conv. qua in lege magistratus ob levem, ejus heredes ob latam tantum culpam teneri dicuntur. Ubi absurdum esset querere, utrum de magistratum an de ipsorum heredum culpa tractetur. Eandemque sententiam rectissime videmus exponi in l. 2. C. ill. tit. his verbis: In heredes magistratus cuius non laeta culpa idonee cautum pupillo non est, non solet actio dari; hoc est cuius levis culpa coargitur. Quid verbis opus est? cum Imperator in l. curatoris 17. C. de neg. gest. apertezissime scriperit, heredes & successores curatoris latam ipsius (Atqui hoc ipsius etiam non extat in d. l. 17. vide supra §. 18. & docebimus infra, non debere subintelligi) culpam praestare? Atque hoc quidem ita se habent: qua tamen sic accipienda sunt si modo (Vane & impertinenter, ut jam ostensum) ex tutoris delicto aliquid ad ipsius heredes pervenerit. Quoniam eatenus ex defuncti contractu de ipsius dolo datur in heredem actio, eatenus ad heredem pervenit.

§. XXVII.

Eandem meditationem reassumxit Antonius Faber, vir de emendanda jurisprudentia alias egregie meritus. Hic lib. i. conj. c. 12. Juris Civilis, dicit, regula est, ex contractibus successores ex dolo eorum quibus successerunt, non tantum in id, quod pervenit, sed in solidum teneri l. adea 157. §. ult. de R. L. L. ex depositi, 12. l. ex contractibus 49. de O. & A. lices dici soleat, ex dolo defuncti heredem non teneri, nisi pro qua parte ad eum pervenit, l. in he dem 5. de calumnias. l. quod diximus 16. §. ult. quod met. caus. l. si hominem. 7. §. datur. deposit. Sed & in quasi contractibus ee

16-

TUTORUM PRÆSTANDA.

27

regule locum esse intelligimus ex l. i. C. de hered. tut. ubi quod scriptum est, heredes tutorum ob negligentiam, qua non late culpa comparari possit, condemnari non oportere, satis ostendit, ob eam igitur qua late culpa sit, doloque comparari possit, condemnari debere. Quomodo & in l. 2. C. de magistr. conven. ex eo quod Imperator Alex. rescribit, in heredes Magistratus, cuius non late culpa dolore factum est, ut pupillo idoneus tutor datus non sit, in solidum teneri.

§. XXVIII.

Atque ita omnino, sic continuat, sentiendum est. Nam quod placet nonnullis (id est Cujacio) in d. l. i. C. de hered. tut. negatione sublata legendum est, heredes tutorum ob negligentiam que late culpe comparari possit, condemnari non oportere, rejiciendum omnino est, aut illud reprehendendum, quod in l. 6. D. de magistr. conv. Ulp. scribit, magistratus heredem teneri, si tanta fuerit magistratus negligentia ut cautionem omnem omittat: quod verum rectumque exemplum est ejus negligentiae, qua late culpa comparari potest. Nam de levi tutoris culpa heredem non teneri, idem Ulpianus ait in l. 4. eod. ubi manet nec magistratus nec tutoris heredem ex defuncti negligentia teneri, nisi ex ea qua similis sit culpa dolo proxima. Dixi ex defuncti negligentia, ut eos resellam qui quod eo loco scriptum est, de ipsis heredibus negligentia intelligendum putant. (Quod iterum, & recte quidem, faciebat Cujacius supra §. 20.) Quod si ita esset, parum recte Iustus heredem tutoris similem dicere (Atqui nusquam hoc dicit Ulpianus, ut jam notavimus §. 20.) magistratus heredem, cuius negligentia propria nulla esse potest. Parum etiam accommodate subjiceret, heredem dolo proxime culpa succedaneum (Cur non? Etiam dicit: magistratum qui tamen ex facto proprio convenitur, succedere in omne periculum) esse, quod cum ait, innuit satis, culpe dolo non proxime, ita est levis, eum succedaneum non esse. (Scilicet in administratione propria) Nec ad rem pertinet, quod in l. 4. de fidejuss. tut. scriptum est. Negli-

D 2

geno



genitiam propriam heredi non imputari. Id enim non quomodo iip-
sant sic accipi debet, ut ipsius defuncti negligentia heredi impunesur;
jedita, ut ne quidem propria impunetur: quod majorem habere vi-
deatur dubitationem, cum adversus heredem tutoris ex
proprio dolo juretur in item, (qualis dubitatio: Heres
defuncti convenit de dolo proprio, & ex eo etiam jura-
tur in item, ergo convenientius etiam est ob negligentiam
propriam. Hac dubitatio Domiciana est:) contra
quem tamen ex ipsius tutoris dolo non jurari eademi lla lex
non obscure significat. Denique generale est, ut ex proprio
magis & facilius quam ex alieno facto quisteneatur.

§. XXIX.

Tum accedit ad fusioriem explicationem d. l. i. de
hered. tut. In ea, dicit, primo regula constituitur, quam
diximus, ut ex negligentia qua non late culpa comparari pos-
sit, tutor um heredes non condemnatur. Tum subjicitur,
condemnarit amēn tribus casibus, si contra tutoren lis inchoa-
tastit, si ex damno pupilli lucrum captotum, sigratia præsti-
tum sit. Quas posteriores exceptiones ad dolum latamque
culpam pertinere certum est: (Imo non est certum. Pos-
sum enim etiam per negligentiam ex damno alterius lucrum
habere. Idem etiam de altero casu ostendimus infra.)
Et hoc argumento utuntur, qui sublata negatione regulam
de lata culpa scriptam volunt. Sed non animadvertisunt, se-
cundum hanc interpretationem futurum, ut regulam exce-
ptio destruat, cum dubitandum non sit, iis duobus exemplis
qua ad dolum latamque culpam pertinent, generaliter signi-
ficari, ob dolum & latam culpam tutoris adversus heredem in
solidum agi posse, nec dissimilitudinis ratio reddi possit, cur
iis casibus potius quam aliis, lata culpa dolusve defuncti in
per-

persona heredis coörceatur. At qui exceptionem de regula esse debere, fortasse inquieris. Verum respondebo, nisi verbis, si non contra tutorem &c. non tam exceptionem quam interpretationem regulam illam esse: Ex levi culpa tutoris defundi heredem non teneri: Interpretationem vero illam, non aliter igitur teneri, quam si contra tutorem lis inchoata sit, cum litis contestatione etiam pænalis actiones ab utraque parte transmittantur & temporales perpetuantur l. ult. de fidej. tut. At si ex damno pupilli lucrum captatum, vel etiam gratia præstatum sit: quibus duobus casibus cum in dolo tutor sit, vel saltet ejus culpæ conscius: quæ dolo non male comparetur, juris ratio facit, ut ex ipsis persona in solidum heres conveniatur. Nec recte probare possit, heredem tutoris ex ipsis contractu de levi culpa teneri debere, quia ipse tutor teneretur: malam enim esse ratiocinationem ostendit (At plane aliud velle Ulpianum & supra dictum est §. 20 & infra in periphrasi illius legis ostendetur plenius,) Ulp. in d. l. 4. de magist. conven. cum ait non similiter teneri heredes magistratum & tutorum, ut ipsi magistratus tutoresque tenentur.

§. XXX.

Vides itaque, quam se torqueant Doctores, etiam eruditiores, ut perspicuum sensum legis i. C. de hered. tut. eruant, & exceptiones ibi contentas concilient cum regula ibidem tradita. Adeoque, postquam Cujacius, Hotomannus, Antonius Faber, at quanti viri! hic nihil attulerint, in quo acquiescere possis, non miraberis, reliquam Doctorum turbam labyrinthum istum, in quem omnes concipiuntur, qui statuunt, heredes tutorum de levi tutorum culpa non teneri, evadere non potuisse, sed solum con-

tentos fuisse errorem semel propagatum propagare ulterius. Reassumit equidem hanc controversiam acutissimus Bachovius in *notis ad Treutl.* Vol. 2. disp. 9. th. 5. lit. d. e. & ad eum plerique modernorum provocare solent, sed & iste chordâ oberrat eadem, quâ oberrarunt Cujacius, Hotomannus, Faber, nisi quod dubium, quod Faber in §. præced. movehat, de ultimis duabus exceptionibus l. i. C. de hered. *Tut.* alio modo solvere intendat. Sic enim ait d. l. p. 490. *Sequitur in d. l. i. C. de hered. tut. neque ex damno pupilli lucrum captatum, aut gratia prestatum sit.* *Quæ verba revocantur sub hanc exceptionem, nisi tutor in administratione tutelæ dolosus versatus.* (At paraphrasis hujus legis infra tradenda ostendet etiam limitationes has levi culpa intelligi posse.) *Quæ exceptio cum non videatur esse de regula, qua loquitur de levi culpa, variis emendationibus & explicationibus præbuit causam.* Sed potest non incommodè ita explicari, quod cum nomine dolî in contractu admissi in heredes actio non tantum in id, quod ad eos pervenit, sed qualis natura sua est, in solidum detur, l. ex contractu 49. de O. & A. l. ad ea 157. in f. de R. J. etiam actio tutela propter dolum defundi in heredes dabatur, quæ si culpa levis sola fuisse locum non habuisset. Cum autem ut jam dictum, detur qualis est, fieri hinc, ut licet & dolus aut lata culpa præbeat causam, nihilominus tamen in eam jam institutam propter qualitatem naturalēm, levis quoque culpa veniat: & ita in casu admissi à tutore dolî etiam levis culpa nomine heredes condemnentur, atque ita verba d. l. i. neque ex damno pupilli &c. tanquam exceptio sub regulam, quod ob levem culpam tutoris heredes non condemnentur, poterunt referri: (Poterunt etiam referri, sine hac tor-
tu.

TUTORUM PRÆSTANDA.

31

tura) quam sententiam paucis verbis videtur insinuasse Salicet. in d. l. i. C. de hered. tut. ubi hanc summam proponit, heredes tutoris nisi tribus casibus ob levem culpam defundi non teneri. Quam explicationem sequi præstat, quam ut cum Cujac. duobus citatis locis aut emendemus, aut d. l. i. ad singularem speciem doli restringamus: contra quæ non male disputant cit. loc. Sverin. Hotom. & Ant. Faber.

§. XXXI.

Etsi vero hac expositione d. l. i. non parum sibi placet Bachovius, displicuit ea tamen nihilominus Ulrico Hubero, JCto proxime elapsi seculi, plane eximio & vix parem habenti. Is in prelectionibus ad ff. de fidej. tut. §. 3. Bachovium ita notat: Sed hæc limitatio Bachovii cur admittenda sit, ratio illa, sine textu, sola non sufficit. Primo enim quo minus actio aliqua certis casibus aliter quam vulgo detur, ex constitutione speciali facile fieri potest: deinde, si regula ejus procederet, non esset tamen ei locus in judicio generali, quod multis articulis factorumque discrepantiis constat. In uno facto defunctus latam admisit culpam, in alio levem, una actione tutela. De priore facto tenetur, heres, de posteriori genere non tenetur. Verum igitur non fit, quoties tutor latæ culpæ reus est, toties heredem de culpa ejusdem levi posse conveniri. Vis legis hec est, heredem de levi tutoris culpa non teneri. Vedit igitur Huberus nævum quendam leviorem in Bachovio, enormem illum nævum doctrinæ communis non vidit. Deinde ostendit equidem, doctrinam Bachovii non satis esse fundatam, non tamen tollit dubium, quod Bachovium in eam sententiam perduxerat, quomodo nempe limitationes in d. l. i. contentæ cum regula combinari possint.

§. XXXII.

§. XXXII.

Ita videlicet ista doctrina ad eum per Præceptorem suum Johannem Jacobum Wissenbachium erat traducta. Hic enim § ad ff. disp. 53. tb. 4. § ad tit. C de hered. tut. vel curat. communem istam sententiam repetit, & fuisse ex Cujacio, Hotomanno, ac Fabro declarat, simul vero refutare intendit ex iisdem eos, qui putant l. i. C. de hered. tut. de propria heredum culpa exponendam esse, ita, ut simul statuant heredes tutorum de levi culpatutorum teneri. Fateor, me valde gavisum esse, cum viderem, a Wissenbachio utrobique per verba: sunt qui putant, citari in plurali autores pro mea sententia, simul tamen indignatum fuisse, quod eos non nominaverit. Ergo diligenter inquisivi, an hoc reperire possem, ut doctrina mea etiam apud vulgus autoritate Virorum Clarorum corroboraretur. Postea tamen deprehendi, omnem laborem esse inanem, & Wissenbachium verosimiliter neminem in mente habuisse præter ipsum Cujacium, & quæ supra §. 20. ex eodem excerptimus, ubi causam bonam non bene defendit.

§. XXXIII.

Scilicet evolvimus Duarenium a Wissenb. citatum, Brunnemannum, tam ad ff. quam Codicem, Carpzovium, loco supra citato, Huberum in positionibus & prælectionibus, Strauchium, Lauterbachium, & ipsius etiam Domini Præsidis notas ad Strauchium & Huberum. Nihil novi deprehendimus, quam communem sententiam haec tenus sufficienter ex Cujacio, Hotomanno, Fabro, Bachovio explicatam; nisi quod Brunnemannus ad l. i. ff.

ff. de fidjus. tut. novam controversiam notet ad doctrinam de heredibus tutorum pertinentem. Heres, inquit, tutoris, si mas sit & perfectæ atatis, compellentus est perficere ea, quæ a tuteō inchoata, quod hic Gothofr. intellegit de extrajudicialibus. Sed melius etiam idem in judicialibus, nondum redditis rationibus l. 27. ff. de appell. l. un. §. ult. ff. si pendente appell. sed secus si redditæ rationes, ut judicatum refert Sande l. 2. t. 9. d. 18.

§. XXXIV.

Cum autem quæstio quam hic notavit B. Brunne-mannus faciat ad expositionem l. 1. *ff. de fidj. tut. supra §. 12.* allata, e re erit, textus etiam ab ipso allegatos hic apponere. Primo Hermogenianus in l. 2. *si tutor appell.* ita disserit: *Tutor vel curator retentus si provocaverit, & ante causam adam moriatur: propter periculum mediū temporis, successores ejus causas appellationis necesse habent reddere.* Tum vero Macer. l. 1. §. 1. *si pendente appell.* sic statuit: *Tutor quoque in negotio pupilli appellatione interposita si deceperit, heredem ejus causas appellationis reddere necesse est, etiamsi rationes tutela heres reddiderit: quia sufficit mortis tempore ad causas appellationis reddendas obligatum fuisse.* Sed divi Severus & Antoninus rescripsierunt, non cogendum tutorem post rationes redditas causas appellationum reddere.

§. XXXV.

Adscribemus etiam, antequam ad tertium caput dissertationis nostra progrediamur, præjudicium ex Carpzovio d. p. ll. Const. XI. def. 35. Ist C. G. eurem Ehereib zum Vormunden verordnet worden, und hat sich darauf solcher Vormundshaft angemessen, und von bemeldtes sei-

E nes

nes Mündlings Gelde 10. Gulden in seiner Verwahrung gehabt; Als aber die unlängst zu Annaberg entstandene Feuersbrunst auch gedächtem Vormund mit betroffen, seynd des Mündlings Gelder in solchen Brande wegkommen ic. So seynd seine Erben, ungeachtet daß er, der Vormund, sein eigen Geld in selbigen Brand weggeschlehet, solche 10. Gulden zu erstatten nicht schuldig, V. R. W.

§. XXXVI.

Jam igitur sensum legum dubiarum brevi periphrasi proponamus. (*vid. §. 5.*) Et quidem, quod regulas Pauli & Ulpiani de actionibus ex contractu, etiam ex dolo defunctorum in defunctos dandis, attinet, supra §. 6. & 8. appositas periphrasi non est opus, cum res sit planissima, & tortura Hotomanni §. 24. jam notata, nec asseclas repererit, nec ulteriore refutatione habet opus.

§. XXXVII.

Ergo ab altero textu Pauli §. 7. ex l. ult. ff. *de fiduci. tut.* descripto incipiamus. Quæsiverat aliquis ex Paulo, utrum posset conveniri de dolo vel culpa a tutori, cuius heres factus erat, commissis, atque is quæstionem suam à Tribonianu non relatam integre, his verbis finierat: HEREDEM EJUS, QVINON JURE, h. e. à magistratu non competente, vel simili modo tutor vel curator datus est, & ADMINISTRATIONI SE NON IMMISCUIT cum hic ipse tutor at nihil teneatur, *l. 13. §. 12. de excus. tut. l. 1. C. de testam. tut. l. 5. C. qui daretutores.* DOLUM ET CULPAM PRÆSTARE NON DEBERE, atque hanc rationem etiam pro se allegandam esse putabat. PAULVS observans, quærentem in his verbis ultimis inepta posuisse, cum stultum sit alacerere, heredes tutoris, qui nullum dolum vel cul-

pam

pam admisit, dotum tutoris vel culpam non præstare debere, istam rationem silentio præterit, ad quæstionem autem ipsam propositam sic RESPONDIT: TALE JUDICIUM tutelæ IN HEREDEM TUTORIS, sive agatur de dolo sive de culpa, TRANSFERRI OPORTERE, QVALE DEFUNCTUS SUSCEPIT vel suscipere debuit, cum ex persona heredis in contractibus conditio obligationis non debet immutari *l. 2. §. 2. de V. O.* Atque HOC generale axioma EO PERTINET, UT in proposito casu NON EXCUSETUR HERES quærens, etiam SI insuper DICAT, SE INSTRUMENTA TUTELARIA v. g. inventarium, item documenta pupilli, plane NON INVENISSE, sed eadem a defuncto tutori dolo malo esse sublata, adeoque se quoque injusta ignorantia versari. NAM posito etiam, quod tutor hæc omnia dolo malo fecerit, CUM tamen EX OMNIBVS BONÆ FIDEI JUDICIS PROPTER DOLVM DEFVNCTI HERES TENEATUR, IDEM haud dubie PUTO OBSERVANDUM esse ET IN TVTELÆ ACTIONE, ut quæ & ipsa ad judicia bonæ fidei pertinet. SED &, quod attinet ignorantiam, ad quam quærens provocavit, poterat insuper ille etiam id allegare, quod CONSTITVTIONIBVS Imperatorum SVBVENTVM EST IGNORANTIÆ HEREDVM: verum & HOC TAMEN ipsi parum proderit, quia id TVNC saltem OBSERVANDVM EST, CVM POST MORTEM TVTORIS HERES CONVENTIVR ex factoproprio, (*l. 4. §. 1. b. t.*) NON si conveniatur ex facto tutoris, multo minus, ut ex quæstione proposita appetat, SI jam LITE CONTESTATA TVTOR DECESSERIT: NAM LITIS CONTESTATIONE ET POENALES ACTIONES ex delictis aut contractibus venientes, TRANSMITTUNTUR ad he-

redes AB VTRAQUE PARTE, ET TEMPORALES
PÉPETVANTVR.

§. XXXIX.

Jam sequuntur textus Vlpiani. Primus quem supræ §. 9. retulimus ad titulum de heredibus tutorum pertinens est *l. 4. pr. & §. t. b. r. CVM in præcedentibus O-STENDIMVS, HEREDEM QVOQUE ex facto tutoris TVTELÆ JUDICIO, tam de dolo, de quo quidam dubitabant, quam de culpa, de qua nulla erat ratio dubitandi, POSSE CONVENIRI : VIDENDVM jam erit, AN ETIAM PROPRIVS EJVS DOLVS VEL PROPRIA ADMINISTRATIO VENIAT IN IUDICIVM tutelæ, ita ut quemadmodum in reliquis contractibus v. g. locationis conductionis, emtionis venditionis &c. heredes etiam de factis propriis conventi eandem culpam præstant, quam ex iis contractibus præstabant eorum antecessores, ita & idem sit dicendum in tutela, ut heredes ex facto proprio æque teneatur non solum dolam præstare, sed etiam negligentiam in administratione commissam. Sed plane hic subest ratio diversitatis: Nam qui emit aliquid vel conducit, id etiam agit pro heredibus suis, at qui tutor est, tutelam non suscipit pro heredibus suis, sed tutela morte tutoris finitur, uti mandatum morte mandatarii, quia utrobique industria personæ est electa. Igitur videtur prima fronte hæc quæstio plane esse inanis. Quoniam tamen certis casibus tenetur heres negotia à defuncto tuteore cæpta continuare, aliud dicendum est. ET EXTAT SERVII SENTENTIA, EXISTIMANTIS, SI POST MORTEM TUTORIS HERES EJUS NEGOTIA PVPILLI jam cæpta, GERERE PERSEVERAVERIT, AVT etiam IN AR-*

CA

CA TUTORIS PVPILLI PECUNIAM INVENERIT,
ET sciens, vel subina plane & non facile præsumenda
ignorantia, aut etiam quocunque modo nesciens, CON-
SVMSERIT VEL EAM PECVNIA M, QVAM TU-
TOr in rem pupilli STIPULATUS FUERAT sive sci-
enter sive ignoranter EXEGERIT, eaque apud ipsum
extet vel eam simili modo consumferit, TVTELÆ JV-
DICIO EVM TENERI SUO NOMINE. Quod uti in
casibus ubi per pecuniam pupilli locupletior factus est,
nullum habet dubium, ita in reliquis, ubi dolus ejus in-
tervenit, et si heres accurate loquendo non teneatur ex
contractu, tamen etiam actiones qua non sunt ex contra-
etu adversus heredem, dantur de dolo proprio. NAM
CUM v. g. PERMITTATUR ADVERSUS HERE-
DEM EX PROPRIO DOLO JURARI IN LITEM,
quod juramentum maxime in actionibus realibus locum
habet, APPARET etiam, EUM & JUDICIO TUTELÆ
utili TENERI EX DOLO PROPRIO. Sed tamen in ad-
ministratione propria ulterius quam de dolo non tenebitur.
& NEGLIGENTIA PLANE PROPRIA aut igno-
rantia non subina (*vid. §. præced.*) HEREDI NON IM-
PUTABITUR, multo minus ad diligentia exactissi-
mam tenebitur. Et si enim communiter negotiorum alienorum
gestores ejusmodi diligentiam præstare obstrici
fint, ab herede tamen ea non exigitur, quia lege coa-
ctus negotia à tutore cepta continuavit. Porro et si tutor,
qui etiam lege cogitur, præstet tamen culpam levem,
quia tamen tutor potest allegare causas excusandi, &
præterea in tutore industria consideratur, quæ rationes
in herede administrante cessant, aliter constitui commo-
de non poterat.

§. XXXIX.

Jungamus præcedenti textui Vlpiani statim legem parallelam Pomponii l. 1. ff. de fidejuss. tut. descriptam *supra* §. 12. QVAMVIS HERES TUTORIS TUTOR NON EST cum tutela morte finiatur, & non transeat ad heredem; TAMEN EA QVÆ PER DEFVNCTVM tutorem INCHOATA SVNT, ubi videlicet periculum in mora est, sive sint negotia extrajudicialia, sive judicia (vide supra §. 33.) PER HEREDEM, SI modo LEGITIMÆ ÆTATIS ET MASCVLIS SIT, EXPLICARI & continuari DEBENT, donec pupillo de alio tuteore prospiciatur, (quod extra ordinem ob ultilitatem pupillorum constitutum est,) IN QVIBVS DOLVS EJVS ADMITTI, id est, si quid dolo admittat, actione tutelæ coerceri POTEST. Porro etiam QVOD PENES TUTOREM FVIT, & sic ad heredem pervenit, absque dubio HERES QVOQUE EJVS eti ignoranter id accepit, REDDERE DEBET. Illud autem QVOD APUD PVPILLVM aut inter res pupilli IS RELIQUERIT, SI HERES sciens CAPIAT, NON QVIDEM CRIMINE CARET & heredem pupillo obstringit, SED tamen EXTRA TUTELAM ejusque actionem directam EST, ET itaque UTILITATELAE ACTIONE heres HOC REDDERE COMPELLITUR.

§. XL.

Redeamus ad Vlpiani leges & quidem ad l. 4. de magistr. conv. (v. sup. §. 10.) Et si ex constitutionibus heredes magistratum conveniri possint actione subsidiaria, NON tam SIMILITER TENENTVR HERedes MAGISTRATVM, ET IPSI TENENTVR. NAM eti quis urgere velit, actiones personales adversus heredes

eo.

eadem modo dari, ubi dabantur adversus defunctos, non tamen id universaliter verum est, quia NEC HERES TVTORIS NEGLIGENTIAE propriæ NOMINE TENETVR, et si de negligentia propria tenebatur tutor ipse. Est igitur insignis differentia inter magistratum & heredem ejus, & adhuc major, quam inter heredem tutoris & tutorem. NAM MAGISTRATVS QVIDEM IPSE IN OMNE PERICVLVM SVCCEDIT, i. e. negligentia quoque nomine tenetur, si non exegerit satisdatiōnem aut non exegerit sufficientem, (*Gothofr. hic*) HERES autem IPSIUS solum doli, & DOLO PROXIMÆ CULPÆ h. e. latæ, quæ dolo inest, (non levis ut putat Paulus Voetius *ad Inst. tit. de satisdat. tut. §. 2. n. 4.*) succedaneus est, si videlicet magistratus in exactione causationis plane supinus fuerit.

§. XLI.

In l. autem 6. ff. eod. (*vid. supra §. 11.*) Ulpianus id vult. Quemadmodum de magistratu ipso, an ob neglectam cautionem a pupillo conveniri posse, olim dubitatum fuit, in tantum, ut oratione Trajani SCto confirmata deum actio hæc subsidiaria fuerit inventa, (*Paulus Voetius d. l.*) ita & similis dubitatio fuit orta, QUOD AD HEREDEM MAGISTRATUS PERTINET. Quia nimur actio adversus magistratum magis ex delicto ejus descendit, quam ex contractu. Tales autem actiones ne quidem quoad dolum adversus heredes transeunt. Sed & hic Imperator constitutione dubium resolvit. EX-TAT enim DIVI PII RESCRIPTUM, CAUSA COGNITA super gradu videlicet negligentia magistratus, DEBERE DARI ACTIONEM. NAM MAGISTRATUS, SITANTA FUIT NEGLIGENTIA UT OM-NEM

NEM CAUTIONEM OMITTERET culpa nimis
dolo proxima vel omnino dolose, AEQVM EST vi-
sum Divo Pio, heredem teneri. Ut vero dubio de actio-
nibus ex delictis non transiuntibus ad heredes rerum fa-
tis fieret, finxit Imperator, ac si contractis quidam inter-
cessisset, & voluit adeo, HABERI EVM magistratum
sic supine negligentem LOCO FIDEJVSSORIS, VT
HERES EJVS de hac negligentia TENEATVR: At
haec fictio ultra dolum magistratus ab Imperatore non fu-
it extensa, multo minus ad casum, sed tantum restricta
ad omissionem cautionis. SI VERO CAVIT seu caveri
curavit magistratus, ET TVNC fidejussiones IDONEI
FVERVNT, ET POSTEA tales esse DESIERVNT;
SICVT ET IPSE MAGISTRATVS PROBE RECV-
SARET HANC ACTIONEM, ideo, quia probe gesit
officium suum, ita ET HERES ejus haud dubie MVL-
TO JVSTIVS actorem repelleret. NOVISSIME JCTi
rescriptum hoc Divi Pii applicarunt etiam ad heredem
magistratus non idonee carentis (*arg. §. 2. Inst. de fatis.*
rat.) non tamen & hic ultra dolum & culpam latam. Nam
NON ALIAS, AIT Vlpianus, IN HEREDEM ACTI-
ONEM esse DANDAM, QVAM SI EVIDENTER
MAGISTRATVS CVM MINVS IDONEIS FIDE-
JVSSORIBVS CONTRAHVNT.

§. XLII.

In textibus Codicis præprimis opera danda erit, ut
l. 7. C. de hered. tut. *supra* §. 13. descriptam sic expona-
mus, quo & error communis evitetur, & difficultates,
quas Dd, circa exceptiones ea lege contentas movent,
tollantur. Id vero videtur commodissime sic posse fieri:

HE-

HEREDES TUTORUM OB NEGLIGENTIAM,
QUÆ NON LATÆ CULPÆ COMPARARI POS-
SIT, sed ad culpam levem referenda sit, CONDE-
MNARI NON OPORTE. Sed cave ne hoc nimis crude
accipias, cum varia declaraciones hic sint notandæ. Si
quidem initio id procedit saltem de culpa propria hered-
um, & ex ea causa ita restringendum est. SI NON
jam CONTRA TUTOREM LIS INCHOATA EST,
sive lis illa sit solum fundata, sive etiam jam contestata.
Deinde quod etiam culpam heredum propriam attinet,
possunt casus existere, ubi heredes etiam a levis culpæ
præstatione non liberantur, scilicet si NEQUE EX
DAMNO PUPILLI LUCRUM aliquod sit, etiam ex
negligentia vel ignorantia heredis CAPTATUM, ut si
ex bonis pupilli quædam retinuerit, putans ea pertinere
ad hereditatem tutoris, AUT SI ex bona intentione he-
redis, ut pupillo GRÀTIA Potentis alicujus acquirere-
tur, aliquid PRÆSTITUM SIT. Etsi enim hoc casu
heres peccet negligentia & ignorantia, ignorans videli-
cket, non licere tutorib[us] ex rebus pupilli donare, ne-
gligentia autem & ignorantia in administratione propria
ei non noceat, videtur tamen id vel ita intelligendum esse,
ut pertineat saltem ad omissiones heredis non ad facta
strictè dicta, vel certe ut excipientur alienationes bono-
rum pupilli.

§. XLIII.

In reliquis textibus jam res non difficulter procedet.
Perspicuus sensus est 1. 2. C. cod. (vid. supra § 14.) PA-
TER VESTER TVTOR VEL CVRATOR DATVS,
SI SE NON EXCVSAVIT, sed saltem absque excusa-
tione ab administratione tutelæ abstinuit, etiamsi hanc

F

excus.

excusationem non dolo malo, sed ex negligentia omisserit, præprimis cum videret, alios adesse, qui tutelam ejusque administrationem susciperent, si tamen pupillus inde damnum passus sit, NON IDEO VOS MINVS HERedes EJUS TUTELÆ directo, VEL UTILI JUDICIO CONVENIRI POTESTIS, QUOD EAM TUTELAM SEU CURAM, NON defunctum, neque vos ipos ADMINISTRASSE DICITIS. NAM quam pupilli actionem adversus defunctum habent, eadem & contra vos dabitur. Igitur ET a Vobis CESSATIONIS RATIO REDDENDA EST, ut si quidem appareat, justam esse causam excusationis, liberemini ab actione, si vero appareat, esse insufficientem, condemnemini. PRIUS TAMEN PROPTER ACTUM SVM EOS CONVENIENDOS ESSE simul rescripsit Imperator, QUI ADMINISTRAVERUNT, & ipsi damnum dederunt.

§. XLIV.

Circa legem 3. (vid. §. 15.) cod. fere nullum restat dubium. ADVERSUS HERedes QUONDAM TUTORIS TUI AD RATIONES REDDENDAS TUTELÆ ACTIONE INSISTE. IN JUDICIUM illud AUTEM VENIET ETIAM ID, QUOD TIBI TUTOR EX CAUSA FIDEISSIONIS DEBUIT, quia tutela judicium est universale, multa capita complectens.

§. XLV.

Similis est ratio l. 4. cod. (vid. §. 16.) HERedes FORVM,

RUM, QUI TUTELAM VEL CURAM ADMINI-
STRAVERUNT, SI QUID AD EOS EX RE PUPIL-
LI VEL ADULTI PERVENERIT, absque dubio
RESTITVERE COGVNTVR. Etsi enim forte absque
dolo eorum id factum sit, tamen postquam id eis de-
monstratum est, in dolo essent, si eas res vellent reti-
nere. IN EO ETIAM QVOD TVTOR VEL CVRA-
TOR ADMINISTRARE DEBVIT, NEC tamen, sive
ex subina, sive ex leviori negligentia ADMINISTRA-
VIT, RATIONEM EOS REDDERE DEBERE NON
EST AMBIGENDVM, cum tutela actio tanquam ex
contraetu veniens cum omnibus qualitatibus detur etiam
contra heredes.

§. XLVI.

Denique omissa periphrasi *l. 2. C. de. magistr. conven-*
ob rationes §. 17. dictas, restat adhuc l. 17. C. de negot.
geß. §. 18. recensita. CURATORIS ETIAM SUCCES-
SORES, NEGOTIORVM GESTORVM UTILI CON-
VENTOS ACTIONE ob continuata videlicet negotia à
Curatore incepta, ubi periculum erat in mora, TAM
DOLVM, QVAM LATAM CVLPAM PRÆSTA-
RE DEBERE, de negligentia vero propria non teneri,
NEC enim AD EOS totum OFFICIVM ADMINI-
STRATIONIS TRANSIRE, ut aequo ac Curatores ipsi
etiam de levi culpa teneantur. IDEOQVE etiam NVL-
LAM ALIENANDI EOS RES ADVLTÆ POTE-
STATEM HABERE CONVENIT, quæ alias à curato-
re pro re nata certis casibus alienari poterant.

F 2

§. XLVII.

§. XLVII.

Quamvis vero in periphrasi hactenus exhibita ita me gesserim, ut fere ubique rationes ejusdem addiderim, non evidentes solum, sed & multum ad intellectum legum pertinentes, & consensum cum legibus parallelis ostendentes, facile tamen prævideo, fore quosdam qui putabunt, si licet verbis legum tot verba inserere, quod a nobis subinde inserta sunt, quamlibet sententiam, etiam legibus plane adversam ex qualibet lege posse elicere. Hic eti multa regerere, & si vel autoritate pugnandum esset, ad commentarium Feltmanni ad priores duos Pandectarum libros provocare possem, & præterea certum sit, non esse meliorem commendanti rationem quam istam; ut tamen hac in parte ad imbecillitatem eorum, qui communibus opinionibus tanquam glebae adscripti sunt, me applicem, ultimo loco paucissimi fundamenta, quibus in periphrasi illa subinxus sum, in compendio exhibeo, quæ ex natura oppositionis alia esse nequeunt, quam opposita fundamenta communis opinionis. Videntur interpres præprimis seducti esse duabus ex rationibus: (1) quod putarunt ab Ulpiano in l. 4. de magistr. conven. comparationem instituit inter heredes tutoris & heredes magistratus. Jam igitur cum certum sit, dum dicitur, heredes magistratus non teneri de culpa levii magistratus, non de culpa propria, putarunt vi comparationis idem dicendum esse de heredibus tutorum. Quo semel admisso facile fibi postea persuaderunt, (2) l. 1. Cod. de hered. tut. loqui de culpa levii defunctorum, atque in hac sententia corroborati sunt, cum putarent, primam legis declarationem, quæ de facto tutorum ipsorum loquitur, esse limitationem legis; & quamvis postea in conciliandis reliqui limitationibus legis valde se torserint, quidvis tamen potius admiserunt, quam ut in viam redirent. Cum ex his constet, posteriore errorem propullulare a potiore, & præterea in periphrasi l. 1. C. d. 1. perspicue ostensum sit, quid velint tres illæ declaraciones ei legi inserere, res omnis in eo videtur esse sita, ut ostendamus, prius assertum esse falsissimum. Igitur sic procedemus: (1) Maxima est differentia, in tuto heredum convenientiorum, inter actionem tutela & subsidiariam illam de magistratibus convenientiis,

ut adeo comparatio inter has duas institui commode non possit. Ratio assertio*nis est, quia actio tutelæ est ex contractu, quales actiones etiam de dolo defunctorum adversus heredes transiunt.* At actio subsidiaria est ex delicto vel vero vel quasi, scilicet ex danno dato dolo vel culpa. Actiones autem ex delictis adversus heredes non dantur, nisi in quantum pervenit, aut nisi item defunctus fuerit contestatus. Ergo Ulpianus in l. 4. de magistrat. conven. non poterat intuitu heredum comparare has duas actiones, scilicet, ut quemadmodum & quomodo actio de magistratibus convenientiendis non detur contra heredes, ita & actio tutelæ non detur. Et poterat sane alio modo exponi Ulpianus, uti fecimus §. 40. Imo demus, Ulpianum expresse & claris verbis instituisse hanc comparationem, debebant interpres annotare, hanc comparationem non esse genuinam, uti annotare solent, cum Ulpianus causam eam dat, cur partus ancillæ non sit in fructu, qui videlicet fructus omnes inventi sint hominum gratia, eam rationem non esse genuinam, sed aliam meliorem ex ipso Ulpiano esse substituendam, quod ancillæ non comparari soleant eum in finem, ut pariant.

§. XLIX.

(2) *Nulla est ratio, qua dari possit, cur heredes non teneantur ex culpa levi tutorum.* Non autem convenit, leges dubias ita exponere, ut inde oriatur sensus irrationalis. Posteriori membris assertio*nis probatione non indiger, cum sit communisima interpretandi regula: verba ita esse accipienda, ne sequatur absurdum: item, verba in dubio sic esse exponenta, ut convenient cum iure communi.* Prius autem quod attinet, probatur ex omnibus Doctoribus, quos hactenus inspicere licuit. Omnes notant explicationem textuum, quam ipsi erronee faciunt continere aliquid speciale. nemo tamen vel audet saltem rationem hanc specialitatis in vestigare, in tantum ut jam supra §. 19. notaverim, Salicetum id inter mirabilia referre. Atque id quidem temporibus Saliceti condonandum erat, utpote in quibus Theologi asseruerant, in rebus, quas ignorabant, ut falsis etiam scriptura expositionibus,

cum urgerentur rationibus, confugere ad miracula, & JCti similia faciebant in salvandis ineptis expositionibus textuum, asyla quaren-
do in mirabilibus. At hodie, cum ubique fere à sapientioribus Theologis ejicianur conficta miracula, turpe esset JCtis, si non &
ipsi excutere vellent mirabilia illa antiqua tanquam certissima igno-
rantiæ indicia.

§. XLIX.

(3) At evidens est ratio, cur heredes magistratum non te-
neantur culpa levi defunctorum quia regulariter ne quidem tene-
ri de culpa lata, aut ullo modo actione subsidiaria conveniri debe-
bant. Quia nimurum, ut dictum, actio subsidiaria oritur ex delicto.
Rem fusius expediti jam supra in periphrasi l. 6. de magistr. conv.
§. 41. Hic saltem deducendum est duobus adhuc verbis, utrum in-
dubie verum sit; quod actio de magistratibus convenientis ex de-
lictō oriatur. Non equidem vidi Doctorum hodiernorum quem-
quam, qui de eo dubitaret, nec tempus jam subest, evolvere
Glossatores anticos legum, cum hæc res separata et diligentiam
requirat. Interim observavi ex lectione legum, ipsos JCtos
Romanos hic dubitasse non leviter. Ulpianos pro actione ex
delicto habuisse videtur, in d. l. 6. (quod nobis in praesenti quæ-
stione jam sufficit,) eam in rem allegans Rescriptum Divi Pii,
ubi datur actio adversus heredes fictione opus fuit. Ejusdem op-
pinionis fuit Celsus in l. 7. eod. ideo adversus singulos, si de dolo con-
veniantur concedens actionem in solidum. Idem sensit Modestinus
in l. 8. eod. actionem in solidum non tantum similiter in singulos
concedens, sed & in l. 9. sequente non obscure inclinans in eam
sententiam, quæ statuit, à magistratu non exigendas esse usuras cum
sorte, quia pœnarum usuræ cum forte peti non possint. Contra
hos omnes definitivum rescriptum Divi Severi & Antonini d. l. 9. usu-
ras cum forte peti posse, ratione illa addita, quoniam *E ADEM in*
magistratibus actio detur, quæ competit in tutores. Non vacet
evolvere quomodo istum dissensum concilient interpres. Ego in-
terim firmiter puto, donec evidentissime ostendatur contrarium,

rescriptum hoc Severi & Antonini aperte contradicere sententiae Ulpiani, Celfi & Modestini, imo ipsi rescripto Divi Pi in l. 6. 7. & 8. eod. adeoque hic esse exemplum illustre antinomia in uno eodemque titulo & quidem immediate positæ, ut aliquando habeant admiratores Triboniani novum argumentum commentandi juris Justini. ancii.

§. L.

Nihil restat, quam ut iisdem respondeamus, si forte adversus nostram disputationem urgere velint, meditationes has, qualescumque etiam sint esse inutiles: Quicquid enim sit de veritate earum theoretica, posse quidem talia defendi pro cathedra, sed sufficere pro sententia communis a nobis rejecta, quod regnet in praxi, & quod pro ea faciant responsa duo a Carpzovio adducta, quorum unum etiam *supra* §. 35. descripsimus. Sed ad ista quamvis multa regerere possimus, liceat jam ad finem properantibus, saltem duobus verbis respondere. Regnet error communis sive in paulino sive in praxi, non equidem invidemus. Ita moris est. Pauper ubique jacet; Error regnat ubique. Saltem precabimur, ut patientur apud nos regnare studium veritatis. At error facit jus. Sit ita, non tamen jus faciet erronea observantia judicialis, quia nec vera observantia judicialis jus facit. Miraris. Deduxit id jam peculiari dissertatione Dominus Praeses *de jure consuetudinis & observantia*. Docent sententiae adjuncte Speculo Saxonico, ut & integra sententiarum volumina a Beato publicata, olim aliam observantiam judicalem regnasse, & forte sepe meliorem, quam hodierna est; regnavit interim illa, jam alia regnat. Hodie in judiciis regnat Carpzovius, cras Meyius, tum aliis & iterum aliis. Ita nec spe destituimur fore, ut errore cognito aliquando etiam in judiciis pronuncietur: tu-
torum heredes teneri etiam de levi
corum culpa.

CO-

COROLLARIA.


- I. Dissentient Doctores, utrum titulus de magistratibus convenientiendis habeat usum. Nobis placet corum sententia, qui dicunt, usum esse exiguum, non ideo, quod actio illa sit inventum iuris Romani, putamus enim eam nisi summa equitate, sed quod alia sit ratio magistratum nostrorum, alias & corruptior sit status Germanie nostra, alias & corruptior sit processus hodiernus.
- II. Multo minor itaque erit usus doctrina de heredibus magistratum convenientiendis.
- III. Putamus etiam exiguum esse usum doctrina de heredibus tutorum convenientiendis ex facto proprio, quia vix putamus hodie dari casus l. 1. de fidej. tut. ubi heredes teneantur factum tutoris continuare. Sed usus aliquis esset hodie se continuarent sponte.
- IV. Si vero continuarent sponte, cessaret ratio, cur hic saltem tenerentur de dolo, (vid. §. 38.) ergo videtur dicendum, quod hodie eandem culpam hoc casu prestarent, ad quam tenetur quilibet negotiorum gestor.
- V. Heres tutoris etiam usuras ejuspecuniae que in arca est, prestat, uti tutor, donec rationes reddiderit. arg. l. 4. pr. & §. 2. de fidj. tut. junct. l. 27. de Appellat. l. unic. §. ult. si pend. Appell.
- VI. Actio de rationibus distrahenas in heredes tutoris qua tales, non datur, quia ex delicto est. l. 2. de tut. & rat. distraha.
- VII. Hypotheca tacita pupillis in bonis tutorum competens non est extenda ad bona heredum.
- VIII. Sed verius est, etiam pupillorum heredibus competere jus tacita hypotheca in bonis intorum, at privilegium prelationis quod ulterius pupillis competebat, ad heredes eorum non transit.
- IX. Putat Callistratus l. 64. §. 1. de ritu nupt. 8Cto, quod interdictebat, ne inter tutorem, ejus filios & pupillam sint nuptie, etiam ex justa interpretatione interdictum esse matrimonium heredi tutoris extraneo. Nos salva autoritate Callistri, & Tribonianii contrarium defendemus arg. l. 60. §. 6. l. 67. §. 5. ff. cod. I. ult. &c. t. Cod. de interd. matrim. inter pupillam & tutorem.

F I N I S.

Halle Diss. 1701
(T-2)



Farbkarte #13



Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Centimetres

Inches

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

20

21

22

23

24

25

26

27

28

29

30

31

32

33

34

35

36

37

38

39

40

41

42

43

44

45

46

47

48

49

50

51

52

53

54

55

56

57

58

59

60

61

62

63

64

65

66

67

68

69

70

71

72

73

74

75

76

77

78

79

80

81

82

83

84

85

86

87

88

89

90

91

92

93

94

95

96

97

98

99

100

101

102

103

104

105

106

107

108

109

110

111

112

113

114

115

116

117

118

119

120

121

122

123

124

125

126

127

128

129

130

131

132

133

134

135

136

137

138

139

140

141

142

143

144

145

146

147

148

149

150

151

152

153

154

155

156

157

158

159

160

161

162

163

164

165

166

167

168

169

170

171

172

173

174

175

176

177

178

179

180

181

182

183

184

185

186

187

188

189

190

191

192

193

194

195

196

197

198

199

200

201

202

203

204

205

206

207

208

209

210

211

212

213

214

215

216

217

218

219

220

221

222

223

224

225

226

227

228

229

230

231

232

233

234

235

236

237

238

239

240

241

242

243

244

245

246

247

248

249

250

251

252

253

254

255

256

257

258

259

260

261

262

263

264

265

266

267

268

269

270

271

272

273

274

275

276

277

278

279

280

281

282

283

284

285

286

287

288

289

290

291

292

293

294

295

296

297

298

299

300

301

302

303

304

305

306

307

308

309

310

311

312

313

314

315

316

317

318

319

320

321

322

323

324

325

326

327

328

329

330

331

332

333

334

335

336

337

338

339

340

341

342

343

344

345

346

347

348

349